





1773, 7<sup>6</sup> 409  
II

DISSERTATIO IVRIDICA IN AVGVRALIS  
DE QVAESTIONE  
**QVATENVS INDOSSATARIO**  
**EXCEPTIONES**  
EX PERSONA INDOSSANTIS  
OPPONI QVEANT

---

QVAM  
CONSENTIENTE  
INCLYTO IVRE CONSVL TORVM ORDINE  
PRAESIDE  
**D. IO. CHRISTOPH. KOCH**  
SEREN. HASSIAE LANDGR. A CONSILIIS INTIMIS  
ACADEMIAE PROCANCELLARIO ANTECESSOR, IVR. PRIM.  
ET COM. PAL. CAES.

PRO  
**LICENTIA**  
SVMMOS IN VTROQVE IVRE HONORES  
RITE CAPESSENDI  
DIE NOVEMBR. CIOIDCCCLXXXIII.  
H. L. Q. C.  
PVBLICO PROCKERVM ACADEMIAE EXAMINI  
SVBMITTIT  
**AVCTOR**  
**IOANNES DANIEL RVMPEL**  
MOENO - FRANCOFVRTENSIS

---

GIESSE, A,  
APVD IOANNEM IACOBVM BRAVN, ACAD. TYPOGR.  
Recusa MDCCLXXX.



MOTA SACRI ROMANI IMPERII  
LIBERAЕ REIPUBLICAE MOENO - FRANCOFVRTENSIS  
SENATVI AMPLISSIMO

VIRIS

PERILLVSTRBVS, MAGNIFICIS, GENEROSISSIMIS,  
PRAENOBILISSIMIS, CONSVLTISSIMIS,

DOMINIS

PRAETORI  
CONSVLIBVS  
SCABINIS  
SYNDICIS  
SENATORIBVS

ET

EX EORVM NVMERO NOVEM

QVI

AVGVSTISSIMI IMPERATORIS  
CONSILIARII ACTVALES SVNT  
PATRIAЕ PATRIBVS SPECTATISSIMIS  
PATRONIS MAECENATIBVS

DOMINIS SVIS

PERQVAM INDVLGENTIEBV

FELICITATEM ET INCOLVMITATEM

PERPETVAM

PIETATIS ET HONORIS CAVSA

PRECATVR

STVDIORVMQVE

HAS PRIMITIAS

DAT DEDICAT CONSECRAT

TANTORVM NOMINVM

CULTOR PERPETVVS

AVCTOR.



DISSERTATIO IURIDICA IN AVGURALIS  
DE QVAESTIONE:  
QVATENVS INDOSSATARIO EXCEPTIONES  
EX PERSONA INDOSSANTIS  
OPPONI QVEANT?

§. I.

QVAESTIO PROPOSITA IN VTRAMQUE DISPUTATVR  
PARTEM.



S i in villa iuris cambialis quaestione  
certe in hac, quam disquisitionis  
meae obiectum elegi, mirus non  
solum ipsarum Constitutionum cam-  
bialium, sed & Doctorum' dissensus deprehenditur.

Et

A 3



Et ad Leges quidem cambiales quod attinet, illas  
suppeditant SIEGELIANVM Corpus Iuris cambialis &  
VHLIANAE tres illius Continuationes. Doctorum vero  
varias sententias optime discimus ex IOH. CHRISTOPHO-  
RO FRANCKIO 1) IACOBO FRIEDERICICO LVDOVICI 2) IOH.  
GOTTL. SIEGELIO 3) MELCH. DETMAR. GROLMAN-  
NO 4) IOH. FRIED. HOECKNERO 5) & GODOFRE-  
DO DANIELE HOFFMANNO 6). His quoad Ius cam-  
biale patrium adiungimus Virum Consultissimum IOH.  
LVDOV. SPAN 7) Aduocatum patriae celeberrimum.

1) in *institutionibus iuris cambialis* lib. I. S. 2. tit. 5. §. 34.  
& Lib. 2. S. 4. tit. 6.

2) in der Einleitung zum Wechsel- & Procesß Kap. II. §. 33.

3) in der Einleitung zum Wechselrecht, p. 42. seq. cuius  
libri tertiam, eamque auctam, editionem debemus indu-  
striae V. C. AVG. FRIED. SCHOTTI Lips. 1773.


4) in *Diff. de cessione literarum cambialium*, Giessae 1711.

5) in *Diff. de literarum cambialium indossamento* Lips. 1707.

6) in *Diff. de effectu indossationis cambii proprii*, Tubing.  
1767.

7) in der Einleitung zum Frankfurtschen Wechselrecht p. 30.  
42. Frankfurt 1752.

§. II.



## §. II.

INDOSSAMENTVM, INDOSSANS, INDOSSATARIVS.

*Indossamentum*, inde dictum, quia dorso literarum cambialium inscribi solet 1), est *scriptura* 2) *ipsis litteris cambialibus ab eo*, qui *illas exigere poterat, inscripta, qua potestas illas exigendi in alium confertur*. Qui indosslat, sit *venia verbo, indossans; is, cui indossamentum sit, indossatarius audit*. Tales litterae cambiales appellantur *cambium indossatum, giratum, transportatum, negotiatum, inductum*. Igitur vi definitionis, ad *indossamentum omnino requiritur, vt ipsis literis inscribatur cambialibus* 3). Potestas exigendi in *indossatarium duplii conferri potest modo, nimirum vel per modum mandati, vel per modum cessionis, vt indossatarius fiat cambii dominus* 4). *Indossamentum prioris generis vocatur indossamentum in procura*, eiusque formula esse solet: *Vor mich an Herrn N. soll mir gute Zahlung seyn, oder soll mir validiren. Posterioris generis indossamentum, quod cessionem continet, hac formula sit: Vor mich an Herrn N. Valuta von denselben, oder des Werths bin wohl vergnügt. Quodsi indossamentum indefinite factum: Vor mich an Herrn N., alii indossamentum per modum cessionis, ut pote frequentius* 5); alii *indossamentum per modum mandati* 6) *praesumendum esse iudicant. Fieri saepe*



saepe solet, ut indossarius, per modum cessionis talis 7), iterum cambium indosset, quale cambium tunc in sensu speciali vocari solet *ein Giro*, vel *ein girter Wechsel* 8). Indossari potest quodus 9) cambium, sit vel *proprie dictum*, s. *trassatum* s. *improprium*, s. *ein trassiter*, s. *nicht eigener*, s. *eigentlich genanter Wechsel*, vel *improprius dictum*, s. *siccum*, s. *proprium*, s. *eigener*, s. *uneigentlich genanter Wechsel* 10).

1) Hinc indossare idem est, & significat ac in dorso cambii scribere. Id tamen ita intelligi non debet, quasi ad formam validi indossamenti praecise pertineat, vt tergo inscribatur. Recte iudicat HOECKNERVS c. 1 cap. 2. §. 2. & 7. indossamentum tergo plerumque inscribitur, quod si tamen contingat, ut non in tergo, sed in facie, vt sic loquar, cambii, vel in fine literarum cambialium, inter dem Wechselbrief factum sit indossamentum, neglegatam indossamenti formam dicere nolim: nam regulariter quidem fieri solent huiusmodi cessions auf den Rücken des Wechselbriefs, inualitatis tamen, hoc neglego, argui non poterunt,

2) FRANCKIVS, Lib. I. S. 2. tit. 5. §. 2. addit *brevis*, merito ideo notatus a LEYSERO Spec. 202. m. I.

3) Potestas exigendi cambium in alium collata extra cambium, peculiari nempe instrumento, neque indossamenti nomine venit, neque iure illius gaudet. HOECKNERVS, c. 1. c. 2. §. 1.

4) Igitur errant cum ZIPFFELIO, qui indossamentum definiti




9

nituri loco generis cessionem ponunt, atque omne indossatum cessionem esse credunt.

- 5) LEYSERVUS cit. loc. HOECKNERVS c. I. c. 3. §. 9.
- 6) FRANCKIVS c. I. lib. I. S. 2. tit. 5. §. 23. BECK, ad *Ord. camb. Noricam* p. 51. BARTH. in *Hodeg. forens.* p. 778.
- 7) Nam indossatarius *in procura*, quia tantum procurator est, cambium alterius indossare nequit. HEINECCIVS in *ELEM. Iur. camb.* c. 2. §. 10.
- 8) HEINECCIVS c. I. LVDOVICI c. I. c. 4. §. 27. Ita res se habet, si vocabulum *giro* strictius accipitur. Nam in largiori significatu pari passu cum indossatione ambulat, nec *giro*, quod circulum denotat, multiplicationem indossationum requirit, cum etiam ex vnica vice indossato cambio fiat, & circulus minor etiam sit circulus. SCHLITTE ad LVDOVICI c. I. HOFFMANN c. I. §. 3. n. b.
- 9) Constans est Doctorum sententia, quod secundum *Ius cambiale commune* indossamento locus sit, si vel maxime in literis cambialibus formula: *att N. oder dessen Ordre, vel an N. oder Commiss,* non legatur: nisi id lex quaedam particularis speciatim requirat. HOECKNERVS c. I. c. 3. §. 5. GROLMANNVS c. I. c. 3. §. 10. HEINECCIVS c. I. c. 2. §. 8. LEYSERVUS Sp. 202. m. 6. LVDOVICI in *Diss. de legitimatione ad caussam* §. 33.
- 10) Caeue ne cum SELCHOVIO, in den Grundsäzen des Wechselrechts §. 26. confundas cambium *improprium* cum cambio *improperie dicto*, & cambium *proprium* cum cambio *properie dicto*, einen eigenen Wechsel, mit einem eigenlich genannten Wechsel sc. sc.

B

§. III.



## §. III.

## VARIVM INDOSSAMENTORVM IVS.

Quum igitur dupli modo cambium indossari possit, & vel mandatum vel cesso subsit, facile est ad existimandum, quod haec indossamenta vario regantur iure. Etenim *indossamenta in procura*, ex iure *mandati*: & *indossamenta per modum cessionis* facta ex iure *cessionis* existimanda sunt; nisi leges cambiales proprium iis ius tulerint. Ceterum indossamentum per modum cessionis conceptum titulo aequo *oneroſo*, ac *lucrativo*, fieri potest 1).

1) GROLMANNVS, c. I. c. 3. §. 6.

## §. IV.

## EXCEPTIONES REALES ET PERSONALES.

Exceptiones, quibus rei se defendunt, vel *realis* vel *personales* dicuntur: & quidem non uno simplicique, sed dupli modo; quod Interpretes iuris plerumque negligentius tractare solent. Exceptio considerari potest tam *ex parte opponentis*, quam *ex parte eius*, cui opponitur. Priori respectu exceptio *realis* nominatur, quae rei cohaeret, & fideiussoribus, omnibusque, quorum interest, competit: *personalis* vero, quae personae cohaeret, nec ad heredes aliosque quoscumque transit 1). Addere quidam 2) solent tertiam speciem, exceptio-

nem




11

nem nempe *mixtam*, quae mixtam habeat naturam,  
& aliquid de *realium*, aliquid de *personalium* natu-  
ra participet: quorsum referunt exceptionem *restitu-  
tionis in integrum ex causa aetatis* 3), quae competen-  
ret heredibus quidem minoris facilitate aetatis lae-  
fi, & in hoc participaret aliquid de natura *rea-  
lium*; non vero competeteret fideiussoribus, & in  
hoc imitaretur naturam personalium. Rationem di-  
uersitatis hanc esse aiunt, quia *heres* ipso iure re-  
praesentet personam minoris, *fideiussor* vero pro de-  
bitore succedat ex dispositione hominis. Posteriori  
respectu, si nimirum exceptio ex parte eius, cui  
opponitur, aestimatur, *realis* est, quae rei ita co-  
haeret, ut cuicunque agenti opponi possit; si id fal-  
lit, *personalis* est. In hoc significatu exceptio *doli*  
ad personales pertinet: nisi magis placeat huic ex-  
ceptioni mixtam adscribere naturam. Nam illa  
omnino opponi potest *successori singulari* ex causa  
*onerosa*, si hic auctoris sui accessione vti velit, alioue  
modo doli antecessoris, *particeps* sit 4). Ceterum  
ex his patet, quod eadem exceptio ex parte oppo-  
nentis possit esse *realis*, quae ex parte eius, cui op-  
ponitur, est *personalis* 5), & vice versa 6). Nos  
in sequentibus terminos exceptionum *realium* & *per-  
sonalium* eo in significatu usurpamus, quo ex parte  
eius, cui opponuntur, aestimantur.

1) l. 7. §. I. D. de except.

B 2


2) LAV-




2) LAVTERBACH, in Coll. theor. pract. Lib. 44. tit. I. §. 15.

3) De effectu restitutionis in integrum praetoriae ex causa iuris debitoris principalis aetatis quoad fideiussorem, nempe, an illa simul sit auxilio fideiussori? dici vix potest, quam varie sentiant Doctores. Plurimi, recentiorum praesertim, doctissimorum Interpretum, FABRI, HVBERI, VOETII, SCHVTTINGII, COCCEII, WIELINGII &c. &c. applausum tulit sequens regula: *Si fideiussor pro minore contemplatione iuris praetorii intercessit, restitutione praetoria ex persona minoris non inuatur; si vero pro minore absque contemplatione aetatis s. simpliciter promisit, restitutio minoris ipsi profutura est.* Allegant pro hac doctrina sequentem l. 13. D. de minor. particulam, antecedentibus & subsequentibus verbis, consultone an ex incuria nescio, omisisti: *Si cum scirem minorem, & ei fidem non haberem, tu fideiussoris pro eo: non est aequum, fideiussori in necem meam subueniri, sed potius ipsi deneganda erit mandati actio.* Sed audiant huius sententiae Patroni graue CELSUS monitum in l. 24. D. de Legib. *Inciuile est, nisi tota Legi perspecta, una aliqua particula eius proposita, indicare vel respondere.* Liceat mihi eam, quam veram arbitror, sententiam modeste & citra ullius iniuriam expondere. Antequam vero id fiat, tria praemittenda sunt. *Primum*, quod ICTIS Romanis, ex quorum libris Pandectarum compilatae sunt, in hac quaestione non una eademque federit sententia. Elucet illud ex legibus Pandectarum, in quibus illa quaestio tractatur, inter se collatis. *Alterum* quod L. 13. D. de minor. tam ob argumentum generale, quam ob locum, in hac quaestione decidenda lex cardinalis & fundus sit. *Tertium*, quod, vii AVERANIVS,

OTTO



OTTO & FÜTTMANNVS iam obseruarunt, l. 25. D. de fideiussoribus cum l. 13. D. de minor. coniungenda sita vtraque enim ex VLPIANI libro undecimo ad Edictum desumpta est. Prodeat nunc VLPIANVS. Verba Legis 25. D. de fideiussoribus, quae indubie praecesserunt, haec sunt: MARCELLVS scribit: si quis pro pupillo sine tutoris auctoritate obligato prodigoue, vel furioso fideiusserit: magis esse, (ergo dubitatum de eo fuit) ut ei non subueniatur: quoniam his mandati actio non competit. (Vides in hac Lege nihil esse VLPIANI, præter verba initicia: MARCELLVS scribit. Reliqua omnia sunt MARCELLI, cuius sententiam refert VLPIANVS. Et MARCELLI quidem sententia ea fuit, quæ fideiussori minori nullo casu sit subueniendum beneficio Praetoris. Neutiquam enim dici potest, quod MARCELLO ea proposita fuerit species, quando fideiussor contemplatione iuris praetorii pro minore sponserit. Hanc a se relatam MARCELLI sententiam VLPIANVS in l. 13. D. de minor. improbauit, & nisi me omnia fallunt, verba quaedam, quibus VLPIANVS aperte notauit MARCELLVM, in initio l. 13. omissa sunt a compilatoribus Digestorum. Verba VLPIANI in l. 13. nobis seruata ita fluunt:) In causæ cognitione versabitur, utrum soli ei (minori) succurrendum sit, an etiam his, qui pro eo obligati sunt: utputa fideiussoribus. (In his verbis VLPIANI sententia & decisio continetur, ideoque a MARCELLO, qui nullo casu fideiussori subueniendum esse scripsérat, aperte dissentit. Haec verba, decisionem tamen ipsam & thesin continentia, supra nominati Doctores perperam omittunt. Thesin ipsam VLPIANVS exemplo quodam euidentissimo, vt iudicis officium, in causæ cognitione instruat, illustrat verbis, quae sequuntur:) Itaque si cum



seirem minorem, & ei fidem non haberem, tu fideiussoris  
 pro eo; non est aequum (ergo tota quæstio ex aequitate est  
 metienda) fideiussori in necem meam subueniri; sed potius  
 ipsi deneganda erit mandati actio. (Haec verba ad exemplum  
 illustrans tantum pertinentia, supra relateae senten-  
 tiae Patroni, omissa particula Itaque allegare solent, pu-  
 tantes in iis ipsam decisionem & thesin latere, atque ex  
 exemplo illustrante regulam exclusiam, contra prima Lo-  
 gices principia, formantes. Quod quam erronee fiat,  
 ea, quae apud VLPIANVM sequuntur, manifestum red-  
 dunt. Pergit enim Iureconsultus:) In summa perpendendum  
 erit Praetori, cui potius subueniat, utrum creditori, an fidei-  
 ussori: nam minor captus neutri tenbitur. (Ecce: VLPIA-  
 NVS repetit denuo thesin, eamque iterum inculcat. Ait:  
 In summa perpendendum erit Praetori, ergo non saltet in  
 antea adducto exemplo fideiussori subueniendum non est,  
 vt dici possit in reliquis omnibus casibus fideiussori sub-  
 ueniendum esse. Quod posterius quam falsissimum sit,  
 ipse VLPIANVS demonstrat, dum thesi repetitae nouum,  
 idque a priori diuersum exemplum subiicit, inquiens:) fa-  
 cilius in mandatore dicendum erit, non debere ei subuenire:  
 hic enim velut affirmator fuit & susor, vt cum minore con-  
 traheretur. (Igitur in cause cognitione versatur & ex  
 aequo dijudicandum est in quoconque obueniente casu,  
 utrum soli minori, an etiam fideiussori succurrentum  
 sit. VLPIANVS illustrationis causa duo adduxit exempla,  
 in quibus non est aequum, fideiussori in necem creditoris  
 subueniri. Sed ex uno altero horum exemplorum re-  
 gulam exclusiam formare, nec sane ratio, nec verba VL-  
 PIANI clarissima, praesertim illa: In summa perpendendum  
 erit Praetori, patiuntur. Nec porro obstant, quae supra

exc-



excitati Doctores pro tuenda sua sententia sequentem in modum caußantur: Rationem velle, ut sublata principalis obligatione tollatur & accessoria, arque cum omni ratione pugnare ineptias, quas quidam effutient, restitutionem nempe minorem quidem liberare, attamen eius obligationem non extinguere; subduci minorem obligationem, salua manente obligatione ipsa. At mirum est, quod non videant, partim se propriam impugnare sententiam; partim hoc argumentum nimium, ergo reuera nihil, probare. Si enim laudatae Iuris regulae locum hic concedis, in omnibus casibus, etiam in illo, si fideiussor contemplatione iuris praetorii spopondit, fideiussori succurrendum esse affirmare debes: quoniam in eo quoque casu fideiussoris obligatio tantum est accessoria. Deinde iam VINNIVS lib. I. quaest. II. cum aliis bene monuit, regulam memoratam tum saltem procedere & veram esse, quando principalis obligatio aut ipso iure tollitur, aut summouetur per exceptionem iure communi competentem; secus autem esse quando manente obligatione tam naturali quam ciuili, persona rei duntaxat subducitur, sicut fit, cum minor restitutione vtitur, per l. vlt. D. de duobus reis. Cum duo eandem pecuniam debent, si unus capitis deminutione exemptus est obligatione, alter non liberatur: multum enim interest, utrius res ipsa solvatur, an persona liberetur: cum persona liberatur, manente obligatione, alter durat obligatus, & ideo, si aqua & igne interdictum est; aliquis fideiussor postea ab eo datus tenetur. Ex qua lege simul patefecit, ineptias non effutire, qui statuit: per restitutionem praetoriam minorem tantum eximio obligatione, manente obligatione Etenim & ciuili & naturali obligatione minor obligatus erat. Illa quidem, quia ideo vitetur restitutione, quia iure



iure communi obstrictus tenetur, l. 16. D. de minor. Naturali vero propter conuentionem & fidem datam, l. 84. §. 1. D. de reg. iur. sed extraordinario auxilio consequitur, ne conueniatur. l. 1. 16. D. de minor. Atque ita obligatione salua manente, minor ea solum exinxitur. Et restitutio non tollit obligationem ciuilem, sed eius effectum impedit: ut scribit ANTONIVS FABER, contrariae sententiae ipse Patronus. In aliis quoque iuris materiis eiusmodi singularia occurunt, vbi habitum iuris praevoriorum ad ius ciuile recte explicatur, regulis iuris ciuilis stricte insisteret haud possumus.

- 4) l. 4. §. 27. seq. D. de dol. mal. & metus exceptione.
- 5) e. g. exceptio doli mali.
- 6) e. g. exceptio competentiae, moratorii specialis &c.

#### §. V.

##### EXCEPTIONES CONTRA CAMBIVM INDOSSATVM DIVERSI GENERIS.

Si indossatario exceptio a debitore opponitur, illa vel ex ipso cambio indossato descendit, vel ex facto s. persona indossantis, vel ex facto s. persona indossatarii. *Prioris* generis sunt exceptio cambii nulliter dati, puta, si persona inhabilis, cambium dare prohibita, nexus cambiali se obligavit; item exceptio praescriptionis: *Secundi* generis sunt, exceptio solutionis indossanti factae, compensationis ob debitum indossantis, non numeratae pecuniae, simula-



mulationis, dolis indossantis &c. Et haec exceptiones vel *reales* sunt vel *personales*, eo sensu, quem in §. 4. secundo loco explicauimus. Tertiis generis sunt exceptiones solutionis indossatario factae, compensationis ob debitum indossatarii, dolii ipsius indossatarii &c.


### §. VI.

QVAENAM EXCEPTIONES EX PERSONA MANDANTIS AVT CEDENTIS OPPONI POSSINT MANDATARIO AVT CESSIONARIO?

Quod omnes exceptiones, sive in rem, sive in personam directae, quae opponi possunt mandanti, etiam obstant mandatario proprio *sic dicto*, s. in rem alienam, expediti & indubitate iuris est. Quod autem ad cessionarium attinet, vtrum cessio ex causa *lucrativa*, an *onerosa*, facta sit, distinguendum venit. Prioris generis cessionario omnes exceptiones, sive *reales*, sive *personales* obiici queunt, & perinde est, sive actione *directa* agat, tanquam procurator in rem suam, sive *vili* 1). Posterioris generis cessionarius vel agit actione *directa*, tanquam procurator in rem suam, vel actione *vili*. Si actione *directa* cedentis vtitur cessionarius, tum res expedita est, quod exceptiones tam *reales*, quam *personales*, indistincte patiatur: quoniam cessionarius hoc modo simplicis procuratoris naturam induit, & actionem non aliter intendit, quam ex persona cedentis: vnde merito

C

cessio-



cessionarius easdem cum cedente pati cogitur exceptiones, vti recte ratiocinantur GEORG. FRANZIUS 2) & IO. a SANDE 3). Si vero actione vtili experitur cessionarius, ex onerosa causa talis, tum quidem exceptiones reales ex persona cedentis ipsi obflare leges clare loquuntur 4): neutquam vero patitur exceptiones personales 5) nisi accessione auctoris vti velit 6), aut ipse dolo non careat 7). Ceterum, quod cessionarius exceptiones ex proprio facto pati debeat, ambiguū iuris non est.

1) I. 4. §. 29. seq. D. de dolī & malī & metus except.

2) lib. I. Pesol. 13. n. 3. quo except. possitib. missione  
3) de actionis cessione c. 13. §. 7. abhanc insollo misita

4) I. 7. D. de except. I. §. I. De hered. vel action. vend.

SANDE c. I. FRANZIUS c. I. LENZ. in tract. de nom.  
cess. c. 32. BVRNNEMANN. de cess. act.

5) I. 4. §. 27. seq. D. de dol. mal. & metus exceptione.

6) I. 4. §. 27. cit. ZANGER. de Except. P. 3. c. 13. n. 75.

7) I. 4. §. 31. D. de dol. mal. & metus except.

## §. VII.

### ADPLICATIO AD INDOSSAMENTA

#### a) GENERATIM.

Nunc omnia praeparata esse arbitror, vt inof-  
fenso pede ad ipsius thematis expositionem manu-  
ad mouere queam. Duo sunt, quae sedulo distingue-  
re



re nos oportet. Primum concernit ipsas exceptiones: alterum respicit modum eas opponendi & prohibandi. Vtrumque iusto ordine adhibito pertractabimus. Generale principium cum LEYSERO 1) adsumo hoc: *Exceptiones, quae secundum ius ciuale mandatario vel cessionario opponi possunt, eadem & patitur indossatarius, nisi indoli aut naturae cambii repugnant, vel leges cambiales contrarium disponant.*

Spec. 200. m. 2. & 3. add. HEINECCIVS in *Elem. iur. camb. c. I. §. 15.*

### §. VIII


#### b) SPECIATIM.

1) INDOSSATARLO IN PROCURA OPPONI POSSUNT OMNES  
EXCEPTIONES, QVAS PATI DEBVISSET INGOSSANS.

Ad species nunc deueniendum est, & quidem primo loco ad *indossatarium in procura*. Adque hunc, ut merum & nudum mandatarium, omnes dati deberent exceptiones sive *reales* sive *personales*, quae indossanti obstatant, expediti iuris est, (§. 6.) adeo, ut leges illae cambiales, quae contra *indossatarium* per modum cessionis talem, exceptionis ex persona indossantis non admittunt, *ad indossatarium in procura* extendenda non sint 1).

1) FRANCKIVS, c. 1. lib. 2. S. 4. tit. 6. §. 8. RAVMBVRGER,  
in *Inst. sel.* p. 213. LVDOVICI c. 1. cap. XI. §. 33.  
HOFFMANN in cit. diff. §. 4. not. 9. WERNER. p. VII.

C 2



obs. 130. SCHAVMBVRG in *Princ. prax. lib. 2. c. 3. §. 6.*

n. 3. *Hinc ergo non videtur modum cessionis iuris deinde*

### §. IX.

II.) INDOSSATARIVS CVI CAMBIUM EXTRA LITERAS CAMEIAS  
LES CESSVM EST, AD MODVM CESSONARIi PATITVR EX-  
CEPTIONES, QVAE OBSTABANT INDOSSANTI.

Succedat indossatarius per modum cessionis talis, cuius conditio generatim duplex esse potest. Vel enim cesso ipsis literis cambialibus inscripta est vel non (§. 2.). Quod posterioris generis indossatarius, seu potius cessionarius, easdem exceptiones, quae aliis cessionariis secundum ius commune ex persona cedentis opponi possunt (§. 6.), pati debeat, ambiguum plane non est 1).

1) HOECKNERVS in *cir. diff. c. 2. §. 1.* FRANCKIVS, c. 1.  
§. 8. HOFFMANN, c. 1.

### §. X.

III.) IDEM VALET DE INDOSSATARIO PER MODVM CESSONIS  
TALI, SI INDOSSAMENTVM IPSIS LITERIS CAMBIALIBVS  
INSCRIPTVM EST.

Si vero indossamentum, cessionem continens, ipsis inscriptum est literis cambialibus, tum quidem in diuerfissimas partes abeunt sententiae Doctorum, nec leges amice conspirant cambiales. Si in prouincia quadam 1) quaestio haec lege decisa est, ibi omnis controuersia exulat. Loquimur nos hoc loco



loco de iure Cambiali communi i. e. de principiis iuris cambialis, quae, deficiente lege prouinciali statutoue cambiali, normam atque regulam faciunt. Non puto, me temere eorum 2) subscribere sententiae, qui defendunt, quod indossatarius, licet ipsis literis cambialibus cesso inscripta sit, pati debeat easdem exceptiones, quae aliis cessionariis ex persona cedentis opponi possunt (§. 6.). Certe principium, quod in §. 7. posui, aliter sentire haud permittit. Etenim indoli & naturae cambii nostra sententia non repugnat.

Me quidem haud fugit contrariae sententiae patronos 3) & inter hos praecipue LEYSERVUM 4) omnes vires neruosque intendere, ut probent, nostram sententiam indoli & naturae cambii refragari. Ita enim LEYSERVS scribit: *Cambia promouendorum & adiuuandorum commerciorum causa introducta sunt, & ideo facilissimo ac celerrimo iudicio expediuntur. Quamobrem naturae eorum illa omnia contrariantur, quae cursum illorum & celerem executionem morantur.* Sed haec omnia vnicce tangunt modum exceptiones opponendi & probandi, de quo in §. 14. dicemus. Sane ego non percipio, quod mea sententia indoli & naturae cambii repugnet; quum indoli & naturae cambii non repugnet, quod indossanti, si ille actor esset, exceptiones illae opponi possint: immo leges cambiales ex-




tent, quae nostrae sententiae fauent 5). Hoc saltem certum est, quod consensus omnium legum cambialium deficiat. Consequens ergo est, ut indoli & naturae cambii nostra sententia haud repugnet. Deinde contrariae opinionis Patroni id concedere debent quod eas exceptiones, quae ex ipso cambio descendunt, veluti exceptio cambii a persona inhabili dati, & praescriptionis, (§. 5.) pati omnino debet *indossatarius per modum cessionis talis* 6). Etiam eas exceptiones, ex persona indossantis, quas indossatus indossario ante indossationem denunciauit, huic obstare aiunt contrariae sententiae Patroni 7).

1) c. g. in *Saxonia Electorali*, vbi vi peculiari mandati de 1699. exceptiones *solutionis & compensationis* ex persona cedentis desumitas indossatarius haud patitur. Quod deinde in *Ord. Proc. Sax. recogn.* Adpend. §. 15. ad omnes exceptiones, quae ex facto indossantis originem habent, extensus est: iis saltem exceptionibus, de quarum iustitia ex ipsis literis cambialibus productis constat, admissis.

*Conf. Tub. nou. Vol. V. Cons. 4. n. 47. seq. WERNHER,*  
*P. 10. obs 397. BARTH in *Hodeger. forens.* c. 4. §. 21.*  
*LVDOVICI c. 1. §. 33. SCHAVMBVRG c. 1. BASTINELLER in*  
*diff. de iure cred. lit. cumb. in concurs. §. 12. HOFFMANN*  
*in cit. diff. §. 4.*

3) HOECKNERVS in *cit. diff.* c. 4. §. 4. seq. RAVMBVRGER,  
*c. 1. p. 212. FRANCKIVS c. 1. GRIBNER in princ. proc. iud.*  
*lib. 2. c. 5. §. 7. GROLLMANN in cit. diff. c. 4. §. 11.*

4) Spec.



- 4) Spec. 202. m. 3.  
5) e. g. Brandenburgisches Wechsel-Recht art. 17.  
apud SIEGEL in Corp. iur. camb. P. I. p. 125. Königl.  
Preußische Wechsel-Ordnung de anno 1751. art. 11.  
n. 10. apud VHL in Contin I. p. 5. quae tamen Sanctio  
quoad Cambia, in quibus continetur clausula: oder Ordre,  
per declar. regiam de anno 1758. apud VHL Contin II.  
p. 5. mutata est. conf. Vangerow in dem Entwurf des  
Wechselrechts nach den Grundsäcken der Preußischen  
Staaten §. 178.


6) HOFFMANN, c. 1.

7) LEYSERVVS Spec. 202. m. 4.

### §. XI.

EXCEPTIO: SI CAMBIUM POST INDOSSATIONEM AB INDOSSA-  
TARIO PRAESENTATVM A DEBITORE SIMPLICITER ET SINE  
VLLA RESERVATIONE ACCEPTATVM EST.

Sed quemadmodum nulla fere iuris regula tam  
firma & sancta esse solet, quae exceptionem non ad-  
mitteret, ita & thesis a nobis in §. praec. defensa, li-  
mitanda est in illo casu, si debitor cambium post in-  
dossationem ab indosattario praesentatum simpliciter  
& sine reservatione acceptauit 1). Is enim huius  
acceptationis effectus est, vt acceptans obligetur  
praesentanti ex propria conuentione, neque ideo  
huius vis & efficacia exceptionibus ex facto tertii de-  
sumtis labefactari possit. Cae tamen ne confundas  
acceptationem cambii iam indosatti ab indosattario  
praes-



praesentati, cum nudo consensu in indossationem  
(§. 15.)

1) STRYK, in *diff. de camb. literarum acceptatione* c. 4. §. 9.  
in Vol. VII. *Diss. Stryk.* p. 362. GROLMANN in *cit. diff.*  
c. 4. §. 11. HOFFMANN in *cit. diff.* §. 4. WERNER,  
p. 7. obs. 182.

### §. XII.

QVID IURIS SIT SI CAMBIVM CONTINET VERBA: oder Ordre,  
DISQVIRITVR.

Ceterum sententiam, quam in §. 10. defendimus, haud mutamus, licet in literis cambialibus clausula: oder Ordre, contineatur. Etenim quum leges dentur cambiales, quae & in his cambiis indosفات exceptiones ex persona indossantis admittunt, neque consensus legum cambialium adest, neque dici potest, quod indoli & naturae eiusmodi cambii repugnet, indosstatum ex persona indossantis exceptiones pati. Accedit, quod indosstatarius & in hoc casu sit verus cessionarius, omneque ius suum habeat a cedente, ideoque & aequum omnino sit, ut ex persona auctoris sui, ad modum aliorum cessionariorum, exceptiones patiatur. Annotauimus iam (§. 10. n. 5.), quod in prouinciis Regis Borussiae nouiori tempore contraria lex lata sit; sed constituit ea ius cambiale *particulare*, & extra prouincias Borussicas valore destituitur.

### §. XIII.

## §. XIII.

IV.) QVAENAM EXCEPTIONES INDOSSATARIO EX SVA PERSONA  
OBSTENT? EXPOSITVR.

Restat, ut addamus, quasnam indossatarius ex proprio suo facto patiatur exceptions. Vbi quidem ambigui iuris non est, quod *indossatario per modum cessionis tali* omnes ex sua persona descendentes exceptions obici queant 1): e. g. solutionis ipsi factae, compensationis ob debitum indossatarii, doli indossatarii. Sed quoad *indossarium in procura*, quia simplex procurator est, distinguere nos oportet inter eas exceptions, quae in lite per procuratorem mota domino actionis ex persona procuratoris obstant, vel non obstant. Sic exceptioni solutionis procuratori factae sine dubio locus datur; Neutquam vero exceptioni compensationis ex debito procuratoris desumptae: quoniam debitum procuratoris in compensationem contra mandantem deduci nequit.

1) GROLMANN, in cit. diss. c. 4. §. II. HOFFMANN, in cit. diss. §. 4.


## §. XIV.

DE MODO EXCEPTIONEM OPPONENDI ET PROBANDI,  
ITEM DE RECONVENTIONE.

Diximus, quasnam exceptions indossatarius pati debeat, vel non. Sequitur nunc modus in his

D

exce-



exceptionibus proponentis obseruandus (§. 7.). Notum fatis est, quod rigor processus cambialis & celeris, quae in illo obtinet, executio nullas alias admittat exceptiones, quam in continenti liquidas 1). Igitur si exceptio illa, quam indossatarius pati debet, in continenti probari potest, in ipso processu cambiali cum effectu opponitur. Si vero in continenti liquida reddi nequit, executionem quidem in processu cambiali non impedit, sed debitum cambiale statim soluentum aut iudicialiter deponendum est: hoc autem facto, debitori cambiali integrum est, ius exceptionis contra indossatarium in reconventionem deducere & processu ordinario persequi 2). Eae vero exceptiones, quas indossatarius ex persona indossantis plane non patitur, indossatario neque in ipso processu cambiali, si vel maxime in continenti liquidae forent, obstant, neque contra eum in reconventionem deduci possunt 3), sed debitor cum indossante separato processu experiri debet.

1) Ludovici, c. l. cap. XI. §. 1.

2) MEVIVS P. VII. D. 181. LEISER, spec. 201. n. 7.  
WERNHER, P. V. obs. 114.

3) FRANCKIVS, c. l. §. 6. HOECKNERVS in cit. diff. c. 4.  
§. 6.

§. XV.



## §. XV.

## IVS CAMBIALE FRANCOFVRTANVM.

Vltimo denique loco subiiciamus vel consensum vel dissensum *iuris cambialis patrii* circa expositas a nobis doctrinas.

I. Vtrum Francofurti cambium, welches, verbis legis vtor, recta und nicht an Ordre zu zahlen ausgestellt worden, indossari queat? extra controuersiam haud posita quaestio est (conf. §. 2. n. 8.). Amplissimus Vir D. ORTHIVS, *patronus noster venerantus*, negatiuam defendere haud dubitauit sententiam 1); verum *Consultiss.* D. SPANIVS 2) affirmatiuae subscribit sententiae: quam & ego, distinctione tamen adhibita, amplector. Etenim §. 44. der *Frankfurtschen erneuerten und vernichteten Wechsel-Ordnung de anno 1739.* distinctis plane verbis indossationem cambii, welches recta und nicht an Ordre zu zahlen ausgestellt ist, ante terminum solutionis (*Verfallzeit*) prohibet, post illum vero terminum permittit. Cambii, autem, welches an Ordre gestellt ist, tam ante quam post terminum solutionis indossatio valite fieri potest. Immo ex verbis, quae in §. 55. *allegatae Ordinationis* occurunt: Ob er schon auf Ordre lautet, satis euincunt, quod indossatio cammbii, welches nicht auf Ordre lautet, non simpliciter sit improbata. Nec, quod

D 2

prae-



praecipue vrget Celeberr. D. ORTHIUS, obstat §. 42.  
*Ordin. patriae*, vbi ita legitur: Wenn bey der Accep-  
 tation der Acceptant sich gegen den Inhaber er-  
 flârete, daß er diesen Brief durch den Scontro zahlen  
 wollte und der Praesentant wäre damit zufrieden, so  
 soll letzterer schuldig seyn, das bey seinem Nahmen  
 stehende Wort: *Ordre*, zu dem Ende auszustrecken,  
 damit der Brief nicht weiter indossirt werden könne,  
 wodurch er aber den Regress an die Indossanten und  
 den Ausgeber keineswegs verlieret, sondern wenn der  
 Acceptant, ehe der Brief scontriret ist, fallirt, und  
 der Wechselbrief zur rechten Zeit protestiret wird der-  
 selbe ihm in alle Wege frey bleibt. Satis enim ma-  
 nifestum est, quod iniuncta deletio vocabuli, *Ordre*,  
 in hoc *speciali* casu indicium esse debeat, domino  
 cambii illud alteri cedere amplius non licere, idem-  
 que nunc esse, ac si in literis cambialibus *clausula*:  
 und nicht an *Ordre*, contineretur. Neutquam er-  
 go ex hoc casu *speciali* inferri potest, quod indos-  
 satio cambii, in quo neque *clausula*: oder *Ordre*,  
 neque illa: nicht an *Ordre*, ab initio posita est, in-  
 ualida sit.

II. Quod indossatario in procura omnes exceptio-  
 nes ex persona indossantis opponi queant (§. 7.),  
 & in patria mea indubitati iuris est 3).

III. An

III. An vero *indossatarius per modum cessionis talis ex persona indossantis exceptiones pati debeat?* quia in *Ordinatione patria clara decisum non est, in utramque partem in foro Francfurtano disputatur.* Unicus textus est, qui ad hanc controuersiam trahitur, nempe §. 55. Ord. camb. Francof. Wann jemand einen Wechselbrief auf sich selbst stelle, und nach der Verfallzeit und darauf geschehenen Protest derselbe, ob er schon auf Ordre lautet, von dem Inhaber an einen andern cedit, indossirt und übertragen wird, und die Cedirung nach einem Falliment beschehen, so soll derjenige, an den dergleichen Uebertragung geschehen, nur als ein Bevollmächtigter gehalten werden, mithin gegen ihn eben diejenige Einwendungen Platz greissen, so gegen seinen Endossanten oder Cendenten eingewendet werden könnten. Vidamus, an ex hoc textu generalis decisio elici possit. Sunt, qui putant, ex relato textu omnino perspicuum esse, quod *indossario, per modum cessionis tali, ex persona indossantis exceptiones opponi nequeant.* Nobis contra videtur. Dabimus priori sententiae Aduocatum doctissimum, periculum facuris, utrum argumenta illius responzionibus nostris innexis diluere valeamus. Ita rationes subducit *Consultissimus SPANIVS:* Eben so zweifelhaft ist die Frage: Ob dem Indossatario die nemliche Exceptiones, wie dem Endossanten auch, cum effectu op-

D 3

ponit



ponirt werden können? Einige sagen ja, andere nein, vid. LUDOV. W. Proc. C. XI. §. 33. FRANCK. I. I. C. L. I. S. II. lit. 5. §. fin. GROLMANN diss. de cessione liter. Camb. c. 4. §. II. Ex principiis generalibus ist freylich die erstere Meynung vorzuziehen, weil niemand mehr Recht auf einen andern transferiren kan, als er selbsten hat, wie auch, weil es bey der Cession also gehalten wird. Aus hiesiger W. O. aber §. 55. schinet nicht undeutlich abzunehmen zu seyn, daß ein Unterschied müsse gemacht werden, ob das Endossament in vim mandati oder cessionis beschehen, so daß im ersten Fall die Frage zu bejahen, im letztern zu verneinen seye. Nemlich es wird daselbst dieser Fall vorgetragen, wenn die Cedirung eines eigenen Wechsel-Briess nach einem Falliment (nemlich des Aussteller's, dann der Inhaber kan, wann er fallirt hat, in praeiudicium creditorum nichts mehr veräußern tot. tit. ff. quae in fraud. cred.) beschehen, und daz bey geordnet, daß der Cessionarius nur als ein Bevollmächtigter gehalten, mithin gegen ihn eben diejenige Einwendungen, als gegen den Endossanten auch, Platz greissen sollten; damit nemlich denen übrigen Creditoribus des Fallirten nicht praeiudicirt werde. Wor aus also nicht nur klar ist, daß einem Bevollmächtigten eben diejenige Exceptiones, wie dem Endossanten auch, opponirt werden können, dieweilen Mandans und Mandatarius in Rechten pro vna persona ange sehen

sehen werden, l. 3. ff. de officio eius, cui mand. est iurisdict. (Hanc sententiam & ipsi defendimus n. 2.) sondern auch a contrario, & quia exceptio in casibus non exceptis confirmat regulam, daß außer dem in §. 55. erzählten casu regulariter der Indossarius, der kein bloßer mandatarius ist, auf diejenige Exceptiones sich nicht einzulassen schuldig sehe, welche seinem Mann etwa im Weg stehen könnten, welches dann in favorem der Handlung und des Wechsels / Negotii also beobachtet wird ---- Nolo hic repetere, quae Doctores 4) de moderato vsu argumenti a contrario & ab exceptione ad regulam desumpti praecipiunt. Ac primum quidem argumento, a Consultissimo SPANIO structo, petitionem inesse contendō. De regula enim ipsa nondum constat, sed illa potius multis premitur difficultatibus. Deinde argumentum a contrario vel ad exceptione ad regulam supponit, vt exceptio & regula inter se habeant conformitatem 5). Haec autem manifeste in nostro casu deest. Nam alia longe ratio est indossatarii in procura, quam indossatarii, qui cessionarii vicem sustinet; illi enim omnes exceptiones tam reales quam personales, quae obstabant mandanti, obiici possunt; huic vero non aequē (§. 7. seq.). Igitur ex textu nostro desumptum argumentum non procedit, quia datur tertium, nempe quod indossarius, qui cessionarius est & manet, ex persona ceden-



cedentis pati debeat exceptiones non quidem eas omnes, quas pati debet *indossarius in procura*, sed tantum eas, quae opponi possunt *cessionario*. Sane non valet consequentia: *Indossarius in procura ex persona mandantis* omnes exceptiones, tam reales, quam personales, pati debet, ergo *indossario ex persona cedentis* nulla opponi potest exceptio. Pergit SPANIVS; wiewohl sich aus gedachten spho ibi: Ob er schon auf Ordre lautet, vielleicht auch noch eine neue und Subdistinction behaupten ließe, nemlich daß im zweyten Fall, wann der Indossarius kein bloßer Mandatarius ist, ein abermahliger Unterschied zu machen sey, ob der Wechsel auf Ordre laute oder nicht laute? so daß in jenem Fall die strittige Frage zu verneinen, im letztern aber zu bejahen seye, welches gewiß mit denen principiis juris communis viel besser harmoniren würde, indem solchen falls der Aussteller expresse in die Cession consentiret, und auch dem Cessionario die Zahlung verspricht, folglich diese Cession einer Delegation parificaret werden mögte, quo casu dem Delegatario bekannlich diejenige Exceptiones nicht opponirt werden könnten, welche dem Deleganten. I. 33. ff. de nouation, & delegation. --- Quo pacto haec distinctio ex nostro textu colligi queat, equidem non video. Potius verba demonstrant, perinde esse, siue clausulam oder Ordre cambium contineat, siue non contineat.

Deni.

Denique, quod ex solo consensu in cessionem s. indos-  
sationem dato delegatio inferri nequeat, expediti iu-  
ris est. Delegatio enim ratione creditoris delegatarii  
& debitoris delegati vel per stipulationem aut hodie  
paetum, vel per litis contestationem fit, & nouam pa-  
rit obligationem & actionem 6.). Quamuis vero  
haec Consultissimi SPANII argumenta me non con-  
uincant, bona tamen fides, quam praestare de-  
beo, non permittit, vt reticeam magni momenti ob-  
seruationem a me nouiter factam. Scilicet §. 55.  
Ordinat. camb. Francof. ad verbum fere descriptus  
est ex art. 37. Ord. camb. Palatinæ 7). Secundum  
Palatinam vero Ordinat. art. 3. cambia, so ohne Ordre  
ausgestellet sind, in vim cessionis indossari non possunt;  
& secundum art. 4. indosstarius, cui cessum est cam-  
bium, so auf Ordre lautet, exceptiones ex persona in-  
dossantis non patitur, es wäre denn Sache, daß der  
dritte Inhaber dergleichen Einwendungen aus dem Wech-  
sel selbst ersehen könnten. In Palatinatu igitur res du-  
bio vacat. Sed quum in Ord. patria articulus ille  
3. & 4. omissus sit, & quoad indossationem cambii  
contrarium obtineat, valde vereor, vt ex solo §. 55.  
solidum duci possit argumentum, quum ne in Ordin-  
natione quidem Palatina a contrario ut ab exce-  
ptione ad regulam rite & simpliciter procedat con-  
clusio. Etenim iuxta art. 4. & indosstario cui cam-  
bium, verba: über Ordre continens, cessum est, ex-

E

ceptio-



ceptiones ex persona cedentis certo obstant modo.  
 Igitur litium euitandarum causa omnino optabile est,  
 vt clara legislatione omnis tollatur dubitatio. Nam  
 deficit quoque in *Foris Francofurtensibus* rei per-  
 petuo similiter iudicatae auctoritas. Vnicum tan-  
 tum casum & quidem recentioris temporis, in Ar-  
 chiuis iudiciorum Francofurtenis reperire licuit.  
 Species haec erat. Mercator FR. in anno 1769.  
 Iudeo H. cambium proprium, vocabulum *Ordre*  
 continens, dederat, quod creditor Aduocato R.  
 per indossamentum cedebat. Debitore non soluente,  
 Indossarius iudicis auxilium implorabat; debitor  
 vero exceptionem non numeratae pecuniae & usurariae  
 prauitatis ab Indossante exercitae opponebat. Decre-  
 tum laudabilis *Audientiae Consularis Senioris*, die 3.  
 Aug. 1769. publicatum, huius fuit tenoris: Es fin-  
 den die wider den eingeflagten Wechsel, nach dessen  
 schon zu zweyemahlen beschehener ohnbedingter Agni-  
 tion, gemachte Exceptiones altioris indaginis, zu-  
 mahlen gegen den dermaligen dritten Zinhaber, keine  
 statt, und wird dahero Beslagter Handelsmann Fr.  
 damit allenfalls ad Separatum und an den ersten Zu-  
 haber verwiesen, flagenden Herrn C. C. R. aber, das  
 deponirte Wechsel-Capital, nebst Interessen und Ko-  
 sten, nach letzterer vorgängiger Liquidir- und richter-  
 licher Ermässigung gegen Quittung zu beziehen gestattet.  
 Prouocabat reus ad *Amplissimum Scabinatum*, & ad  
 illo

illo die 9. Mart. 1770. in hunc modum iudicatum est: Nunmehr aus den Acten so viel zu befinden, daß zwar die von dem Prouocanten vorgeschüzte Exceptio non numeratae pecuniae nach mehrmahlen gerichtlich anerkannter Schuld weiter keine statt finde; dagegen der prouocatische Indossarius nachdem durch die gesetzliche Hinterlegung des eingelagten Wechsel-Debiti zu dessen Ergänzung denn auch die vorerst noch zu liquidirend- und zu ermaßigende Kosten des Proceses mit gehören, allbereits gendigtem Wechsel-Proces sich auf die zugleich opponirte exceptionem usurariae prauitatis, Einwendens ohngehindert, einzulassen- und zu dem Ende auf die von dem Prouocanten bereits in erster Instanz S. Sign. O. eingereichte Beweis-Artikel, in Zeit von 8. Tagen, wenn er will, zulässige Fragstücke zu übergeben haben, worauf weiter Verordnung erfolget, das deponiret und annoch durch den zu hinterlegenden Kosten-Betrag zu ergänzende Wechsel-Quantum hingen kan immittelst und bis zur gänzlicher Endschafft der Sache anderst nicht denn gegen vorgängig zu bestellende Reformations - mäßige annehmliche Caution ausgefolgt werden; comp. expens.

Indossarius remedium revisionis interponebat,  
sed antequam noua decisio sequeretur, lis per trans-  
actionem sopia est, ideoque in neutram partem res  
iudicata extat.



IV. Quae in §. 13. de indossatario exceptiones ex proprio facto paciente docuimus, ea & in foro Francofurtano obtinere, dubitandum plane non est.

V. Pari quoque ratione ea, quae in §. 14. de modo exceptiones proponenti, & probandi item de reconvencionē exposuimus, praxis Francofurtana comprobat.

- 1) in den Anmerkungen über die Reformation Cont. I. p. 5. 91. & in der Abhandl. von den zweien Reichsmessen p. 477. seq.
- 2) c. l. p. 28. seq.
- 3) Ord. camb. Francof. renou. §. 55. apud VHL. in Cont. I. Corp. iur. camb. SIEGEL. p. 87.
- 4) EVERHARD, in loc. arg. legal. FORSTER. in tr. de interpretatione iuris & HORNIUS in tr. de interpretatione iuridica.
- 5) EVERHARD, in cit. tr. in loc. ab except. ad regul. n. II.
- 6) l. II D. nouat. & deleg. WESTENBERGIVS in Princ. iur. sec. Ord Dig. lib. XLVI. tit. 2. §. 12. seqq. LAVTERBACHIVS in Coll. th. pract. lib. XLVI. tit. 2. §. 8. seqq.
- 7) apud SIEGEL T. I. p. 399.



Gel'Pen, Diss., 1723

ULB Halle  
005 356 709

3





**Farbkarte #13**



DISSESTITO IVRIDICA INAVGURALIS  
DE QVAESTIONE  
**QVATENVS INDOSSATARIO**  
**EXCEPTIONES**  
EX PERSONA INDOSSANTIS  
OPPONI QVEANT

QVAM  
CONSENTIENTE  
**INCLYTO IVRECONSULTORVM ORDINE**  
**PRAESIDE**

**D. IO. CHRISTOPH. KOCH**  
SEREN. HASSIAE LANDGR. A CONSILIIS INTIMIS  
ACADEMIAE PROCANCELLARIO ANTECESSOR, IVR. PRIM.

ET COM. PAL. CAES.

PRO

**LICENTIA**

SVMMOS IN VTROQVE IVRE HONORES  
RITE CAPESSENDI

DIE NOVEMBR. CIOCIICCLXXIII.

H. L. Q. C.

PUBLICO PROCEVRVM ACADEMIAE EXAMINI

SUBMITTIT

**AVCTOR**

**IOANNES DANIEL RVMPEL**  
MOENO - FRANCOFVRTENSIS

G I E S S A E,  
APVD IOANNEM IACOBVM BRAVN, ACAD. TYPogr.  
Recusa MDCLXXX.